Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1405
Quelle:
Copyright:

Fol. 55. *Hec in Iglauia in quadam collatione concepta sunt.* 1446. Inscribuntur in hunc modum: *Dubitatur incidenter propter sequentia, Vtrum sit convenientissimus modus sacrum Eukaristie sacramentum ministrare laycis sub specie panis duntaxat et non sub duabus speciebus.* Adfirmatur. *Haselbachium* hoc anno *Iglaviae* fuisse nemo memorat.

Fol. 70. p. 2. Tractatio, cujus scopus patet ex ipso initio: *Particulam de punicione peccatorum publicorum secundo loco proposuit quidam Nicolaus vocatus Episcopus Taboritarum* &c. Hunc igitur pariter prolixe refutat Noster.

Fol. 95. *Tertius Articulus Boemorum proponebatur per Vlricum de Znoyma Basilee in generali Concilio.* Est is de libertate praedicandi Verbi Dei, cum Responso *Haselbachii.*

Fol. 106. *Articulus 4tus De proprietate cleri.* Propugnavit hunc *Petrus Payne Anglus* ominosi Vir cognominis. Impugnat *Haselbachius* hoc initio: *Ne veluti agrestis hospes illotis manibus ad mensam dominicam accedam* &c. En igitur IV. *Hussitarum* Articulos a Quatuorviris *Basileae* in Synodo longis *Positionibus*, quarum duas edidit *Mansius Supplem.* T. IV. adsertos, et a Viris totidem, *Johanne de Ragusio*, *Aegid. Carlerio*, *Henr. Kalteisen* et *Joh. Polemar*, quorum *Orationes* habes *Labb.* T. XVII. refutatos, a solo Theologo nostro ad examen revocatos, quem ejus laborem nullibi memoratum reperi. Accedit vero *fol.* 143. Mantissa hoc initio: *Concluso hoc Opusculo taliter qualiter — insurgebat questio deducta in medium per quendam Artistam pragen. pro nunc Ecclesie incorporatum, quam alias visus est persequi, que sit videlicet diffinitio Ecclesie, de qua verificari possint omnia, que in sacris scripturis dicuntur de eadem* &c. Atque hic refelluntur, qui Ecclesiam ad coetum solorum Electorum coarctant. Ad hunc finem addita etiam videtur.

Fol. 147. p. 2. *Epistola sancti Cypriani de katholice Ecclesie vnitate.* Init illa: *Cum moneat dominus et dicat: Vos estis sal terre, cumque nos esse iubeat ad innocenciam simplices* &c. ut Edit. *Amst.* 1700. p. 75. ubi inter *Libros* collocata est.

Fol. 156. absque inscriptione Adlocutio Nostri nomine Decemvirûm *Pragam* a Concilio *Basil.* a. 1433. ablegatorum, cujus Thema: *Gratia vobis et pax multiplicetur. I. Pet.* 1. initium vero: *Iniungunt exhortacionis verbum mihi semiuerbio Reuerendissimi mihi in christo patres et alij coambasiatores sacrosancte generalis Basilien. synodi in spiritu sancto congregate, verbum inquam genuine caritatis, concordie et vnitatis, pacis et tranquillitatis ad vos circumspectos et prouidentissimos viros dominos Magistrum ciuium scabinos et alios inclite noue ciuitatis pragensis incolas, quam preclaram fecit in orbe olim in ea residens Imperiale fastigium* &c. Multus est in excerpendis *Palomarii*, *Bernerii*, *Tockii* &c.